



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Sectio I. De Beneficiis seu præbendis in communi & de necessaria sustentatione vitæ Clericorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

collusione, aut remissione exclusâ: nisi reddonare quasi illis, qui abfuerunt, in tali casu nulla collusio, aut remissio terueniat.

## TITVLVS V. DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS

### SECTIO I.

*De Beneficiis seu præbendis  
in communi & de necessaria su-  
sistentatione vite Cleri-  
corum.*

#### §. I.

*Quid sit præbenda seu beneficium  
Ecclesiasticum?*

**P**ræbenda spiritualis, in genere loquendo, est jus quoddam percipiendi redditus seu proventus Ecclesiasticos, ratione Canonie, aut alterius spiritualis officii; & hinc dupliciter accipi potest; specificè & strictè pro præbenda Canonicatui annexa, prout accipitur in c. Cum M. g. de consis. vel genericè & latè pro omni beneficio Ecclesiastico, saltem inferiore, prout accipitur in c. pen de V. S. quæ est etiam acceptio hujus rubricæ, de præbenda ergo hoc modo accepta, sive de beneficio Ecclesiastico quaeritur in hoc §. quid sit &

*scilicet Beneficium Ecclesiasticum esse, Jus perpetuum, percipiendi redditus ex bonis Ecclesiasticis, propter aliquod seruitium Spirituale, auctoritate Ecclesie con-*

*stitutum. Triâ enim in beneficio Ecclesiastico distinguenda sunt; primum officium seu obligatio ad præstandam rituales functionem aliquam, adhibenda Sacramenta, ad concionandum &c. & hoc non tam beneficium, quia fundamentum beneficii est; & hoc dicitur dari beneficium propter officium. Secundò jus percipiendi redditus, et hoc Ecclesiasticis propter officium spirituale in quo propriè consistit beneficium non quidem quasi jus illud ad temporales redditus in se, & formaliter spirituale sit, sed quia spirituale est suo fundamento, & radicaliter, quo oritur jus hoc, inseparabile illi officio spirituali annexum. Tertio sunt ipsi redditus, qui ex bonis Ecclesiasticis proveniunt, in se tantum temporales & qui instar aliarum rerum temporales distrahi possunt. Dicitur autem beneficium esse, jus perpetuum, quia non tantum ad tempus, sed in Tempus perpetuum datur beneficiario, apud eum manens, quamdiu vivit, nisi propter delictum illo priuetur, aut per renuntiationem spontaneam eo se abdicet; Et quia vis hæc actualis perpetuitas de natura beneficii fortasse non sit, cum non tantum*

Pontifex conferre possit beneficia ad tempus tantum, sed de facto, regularia præsertim beneficia, talia plerumque sint, ut regulares beneficiati à suis Prælati amoveri ab his possint, ratione personæ, adæquatè Prælatorum suorum obedientiæ subjectæ, & consequenter ad beneficii rationem sufficiat, perpetuum illud esse in se, sive aptum ex natura sua, ut in perpetuum Titulum conferatur, & mortuo Beneficiato non expiret, sed vacet, ad successorem legitimam auctoritate transferendum, negari tamen non potest, quòd hæc talia ad tempus concessa tantum beneficia nomine strictè dicti beneficii non veniant, nec in regulis Cancellariæ sub nomine beneficii comprehendantur, ut docet Bernardi. Diaz, in *practica Canon. criminal. c. 18. n. 2.* & alii communiter. Et hinc propriè beneficium non dicuntur commenda temporalis & Capellania non collativa, ac pensio Ecclesiastica &c. quia autem ad potestatem solius Prælati Ecclesiastici spectat, officia spiritualia in Ecclesia instituere, eisque proventus Ecclesiasticos annexare, idè dicitur beneficium auctoritate Ecclesiæ institui debere.

## §. II.

## De Divisione, seu distinctione beneficiorum.

Varias & plures divisiones beneficiorum referunt Auctores; potissimas refero, primò quo dividuntur beneficia in secularia, quæ Clericis secularibus, nullam religionis regulam professis, conferri solent, & debent, (qualia in dubio omnia beneficia censentur;) & res-

gularia, quæ Regularibus; ordinem religiosum professis, conferri debent, ita ut ordinariè neque hæc illis, neque illa his conferantur. Subdividi possunt utraque in duplicia & simplicia. Duplicia dicuntur, quæ aliquam eminentiam, jurisdictionem, aut administrationem adjunctam habent; & horum alia sunt majora, qualia sunt Papatu, Cardinalatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, quæ majora beneficia in materia pœnali nomine beneficii absolutè prolati ordinariè non veniunt, & culmina beneficiorum, sive Dignitatum dicuntur; alia verò sunt media, qualia sunt reliquæ Dignitates præter sublimes illas enumeratas, Personatus & officia. Est autem Dignitas propriè loquendo, præ eminentia adjunctam habens administrationem, & jurisdictionem, qualem habent Abbates & alii Prælati, tam regulares, quàm seculares; Archidiaconus, Vicarius Generalis Episcopi &c. Personatus est honor & præ eminentia in Ecclesia sine jurisdictione, qualem habent in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus Germaniæ Præpositi. Officium denique est quædam administratio rerum Ecclesiasticarum sine præ eminentia, & jurisdictione &c. quale censetur habere Primicerius, Custos, Sacrista sive Thesaurarius &c. alia denique duplicia dicuntur & sunt infima, qualia sunt beneficia propriè & strictè dicta curata, quæ curam animarum habent annexam, uti sunt Parochialia beneficia, Vicariæ perpetuæ &c. simplicia verò dicuntur, quæ beneficia quidem sunt, nihil tamen horum annexum habent, ut sunt Canonatus tam Cathedralium, quàm Collegiarum Ecclesiarum

rum (quæ etiam majora simplicia dici possunt,) beneficia Affissiorum, qui quidem non sunt Canonici, portiones tamen canonicas integras, vel dimidiam in Ecclesiis Cathedralibus habent; Capellaniam, quæ in perpetuum auctoritate Episcopi conferuntur.

Secunda beneficiorum divisio est (si nomen beneficii latius sumitur) qua dividuntur in manualia, & non manualia. Manualia sunt, quæ in titulum quidem conferuntur, non tamen irrevocabiliter, sed ad nutum revocabilia sunt, qualia sunt pleraque beneficia regularia, quæ nec electiva, nec curata sunt (cùm ad nutum Superioris revocari possint, & beneficio auferri, prout auferri potest Prioratus claustralis, officium Procuratoris, Custodis) & aliqua etiam beneficia secularia, quæ vel ex fundatione sua, vel ex privilegio Pontificio, vel ex præscriptione legitima, &c. auferri possunt ad nutum conferentis, &c. non manualia sunt, quæ propriè dicuntur beneficia, & juxta dicta conferuntur in perpetuum, dum vivit beneficiarius, ita ut à tali beneficio amoveri non possit, nisi in poenam delicti, cui à jure privatio beneficii imposita est; de quibus supra allata definitio intelligi debet; qualia sunt plerumque beneficia secularia, & in dubio talia esse præsumuntur.

Tertia divisio est, quod sint alia beneficia collativa, quæ liberà scilicet voluntate eorum, ad quos collatio pertinet, conferuntur; (pro quo modo etiam præsumitur, si de qualitate beneficii, num collativum, aut patronatum v. g. sit, dubitatur) alia sint electiva, quæ per electionem, accedente legitima con-

fimatione, conferuntur; alia sunt patronata, sive mixta, in quibus ad presentationem Patroni à legitimo Patrono, cui præsentatio facienda est, præsentatus institui debet; alia sunt patrimonialia, quæ certæ patriæ, certi loci, certæ familiarum hominibus conferri debent.

## §. III.

*De sustentatione necessaria dignanda Clericis, & in primis, an, & quibus Titulus sustentationis requiratur ad suscipiendos ordines?*

**N**on licet Clericum secularium sacros ordines promovere, aut ordinare sine congruo suæ sustentationis titulo, absque speciali privilegio *ex parte hujus Tituli capitulis, & ex Tit. Lib. 1. Decretal. De temporibus ordinandi, &c. §. 8. patet, (ex quo §. etiam habetur, quinam tituli sufficiant, ad quos ordinari quis possit) ut ne scilicet habitus ordinis Clericalis, mendicare habitum cogatur Clericus sine titulo sustentationis. Et hinc etiam Episcopus, ac superior illius ad alimenta præstanda talis Clerico, quem sine titulo congruæ sustentationis ordinavit in sacris obligatur, nec alium sustentationis titulum habens. c. Episcopus 4. h. 1. & Trident. Sess. 24. c. 1. Derefor. Si tamen talem nemine præstante ordinavit c. Cùm secundum 21. de Clero.*

Quod si enim ab alio hic præsentatus fuisset, ab hoc de necessariis illi alimentis provideri deberet, prout etiam *Collegio in cit. c. Cùm secundum, colligitur. V. de necessarios.* & non deceptus ordinatus, dicendo se habere titulum, aut privilegium, cùm tamen tale non haberet, hoc enim in casu non tenetur ordinans ad alius sustentationem, sed manet ille ad

executione suscepti ordinis suspensus, & si exerceat, sit irregularis, juxta antiquos Canones, ita ut hæc pœna in tali casu per Trident. sublata non sit.

## §. IV.

An Canonicis debeat præbenda, seu beneficium, tanquam congrua sustentatio?

Respondetur, posse quidem aliquem in Canonicum recipi, absque eo, ut præbendam statim habeat, sive jus actuale ad fructus beneficii percipiendos; debere tamen ei præbendam Canonicalem de jure tribui, quamprimum potest, *Relatum 9. h. r. & c. Dilectus 19. eodem* (quia non est conveniens, ut ait Pontifex, eum, qui in Canonicum receptus est, Præbendâ carere, ex cujus scilicet redditibus alatur) ita ut si Præbenda Canonialis vacaverit, possit eam, implorato Judicis officio, petere, ut sibi conferatur, nisi in Canonicum merè supernumerarium, in Ecclesia, defixitum numerum Canonicorum habente, receptus esset (quo in casu, sicuti non habet jus integrum Canonice, sed præparatorium tantum, & gratiam extraordinariam ad plenum jus Canonice obtinendum, si numerus determinatus per mortem unius imminuat, sic nec præbenda ipsi, quâ talis deberetur) vel certè in Canonicum quatenus absolutè receptus esset, ultra numerum tamen præbendatarum, (cùm plures in tali Ecclesia sint Canonici, quàm Præbendæ, & Præbenda vacans non conferatur ultimo in Canonicum recepto, sed ei, qui antiquior inter non præbendatos Canonicus est) vel in Canonicum quidem absolutè

receptus, ea tamen non præstet, quæ ad acquirendam, & obtinendam Præbendam præstari debent.

## §. V.

Qualis sustentatio necessaria assignari debeat Parochis, aliisque Beneficiis curatis?

Respondetur, debere Rectoribus Ecclesiarum, sive Parochis, eam ex redditibus Ecclesiæ assignati portionem, unde honestam & decentem vitæ sustentationem habeant. *c. Extirpanda 30. h. r.* nomine congruæ sustentationis, ea etiam intelligenda, quæ ad illius familiam convenientem personæ, & statui, ac dignitati, &c. alendam sunt necessaria, &c. quod ipsum etiam *in cit. c. 8. Qui verò* statuitur de Vicario perpetuo in Ecclesiis, quæ Dignitatibus, Canonicatibus, Monasteriis, &c. unitæ sunt, ita ut non possint redditus Capellarum incorporatarum dividi, aut imminui, qui Vicariis talibus ex antiquo ad necessariam sustentationem assignati fuerunt (*c. Avaritia 10. h. r.*) à Monasteriis, vel Ecclesiis, quibus unitæ sunt, sine consensu Episcopi; vel propriâ auctoritate agentis, si tales Ecclesiæ, aut Monasteria subjecta Episcopo sint; vel agentis auctoritate Apostolicâ, si exempta sint, juxta *Clement. unicam 8. Eadem quoque. de supplem. neglig. Pralato. & debeat*, qui præsentant tales in Ecclesiis sibi unitis instituendos Episcopo, ab hoc non institui in talibus beneficiis, nisi tanta eis assignata fuerit ex Ecclesiæ proventus portio, ut jura Episcopalia solvere possint, hospitalitatem (erga pauperes præsertim) exercere, & congruam sustentationem

nem habeat. De Monachis 12. h. e. ita tamen, ut sua semper utilitas etiam maneat unioni de talis Ecclesie proventibus, prout natura unionis exigit, & constitutio Pij V. statuit.

## SECTIO II.

*De modis acquirendi beneficia Ecclesiastica, & modo observando in eorum collatione.*

### §. I.

*Quot, & quibus modis acquirantur beneficia, tum in genere, tum in specie?*

**B**eneficia vel justè & legitime acquiruntur, vel injustè & illegitime: justè & legitime acquiruntur per Canonicam institutionem *juxta Reg. 1. in 6.* intelligendo institutionis nomine, quamlibet legitimam provisionem, & nomine Canonicæ institutionis, modum providendi à SS. Canonibus approbatum. Injustè verò, illegitime, & non Canonicè acquiruntur beneficia, quæ obtinentur, jure consanguinitatis v. g. præterendo successionem quasi hæreditariam, aut ex testamento debitam, aut alio modo à jure reprobato, qui modi plurimi sunt, cum amor reddituum Ecclesiasticorum varios eorum acquirendorum modos excogitet; approbati tamen à jure modi beneficia acquirendi sunt electio, postulatio, præsentatio, institutio, collatio, &c. de prioribus modis alibi, de collatione in hoc Tit.

### §. II.

*An, & quale jus per collationem alicui factam acquiratur in beneficio, post, si ve etiam ante acceptationem illius?*

**C**ollatio proprie loquendo, est concessio libera, seu assignatio beneficii vacantis, ab habente potestatem facta, si absenti, & ignoranti fiat, jus quæritur in beneficio, ante hujus acceptationem non tribuit, collator tamen illud conferre valide non potest, nisi prius acceptare recuseris, ut dicitur *e. Si tibi 17. h. 1. in 6.* aut tempore acceptandum tibi notificatum, & postquam jam transierit, absque tua acceptatione. Et hinc per solam collationem alicui factam, ante acceptationem quæritur acquiritur jus ad rem, post acceptationem tamen acquiritur jus in re, si ve quæritur dominium in beneficio, etiam ante provisionis apprehensionem, ut illud verum sibi possit à possessore, aut detentore pro jure illius agere, si tamen ad eum qui contulit beneficium, potestas extendendi investituram, si ve compositionem possessionem pertineat. Et quamvis collatio beneficii nonnunquam in jure dicitur donatio, quæ nullum jus tribuit ante acceptationem, neque tamen in consuetudine habet se, ut donatio, cum ex potestate conferentis, collatio beneficiorum tractatur, non ex mera liberalitate procedat, sicuti proprie dicta donatio, sed ex obligatione officii, ratione cujus debet in beneficiis vacantibus provideri.